



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ Præcones

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 17. S. Gangulphi vxoris adulterium per aquæ iudicium deprehendentis
mirandum, non imitandum, exemplum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

mina vestra scripta sunt in cælis. Cùm ergo talia faciunt magi, qualia nonnunquam Sancti faciunt; talia quidem visibiliter esse apparent, sed ex diuerso fine, & diuerso jure fiunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam suam, hi faciunt quærentes gloriam Dei: & illi faciunt quædam potestatibus concessa in ordine suo, quasi priuata commercia, vel beneficia: isti autem publica administratione, jussu eius, cui omnis creatura subiecta est. Hæc Augustinus: quæ sufficiunt ad eam quæstionem, cur etiam non Sanctis tales subinde succedant aquarum probationes? aut cur innocentibus nocent? est enim Alastor, qui illis fauet, istis nocet, quantum quidem ei à DEO permittitur. Nam neque impijs quidem plus nocere potest, quam ei concedatur; cùm sit DEI licitor. Licitori autem non licet præscriptum iudicis excedere.

§. XVII.

S. Gangulphi uxoris adulterium, per aquæ iudicium, deprehendentis mirandum, non imitandum exemplum.

Altera obiectio erat, ipsos etiam Sanctos tales aquarum probationes vsurpauisse. Nā memorat, S. Gangulphum martyrem, famā turpi uxoris suę percussum, ad hoc examen, animum

animum adjecisse. Ita enim, in vita illius,
 scribitur. Interim ad quendam veniunt fon-
 tem (Gangulphus & vxor) ubi his vxorem
 vocibus compellat: *Multa quidem de te, con-
 iux, passim feruntur fœda & indigna natali-
 bus tuis; & adhuc quidem mihi certò non con-
 stat, verène, an falsò illa dicantur. Tum illa
 etiam intrepidè jurans, falsos de se rumores
 sparsos, ait, nec se unquam alieno concubitu pol-
 lutam. At Gangulphus: diuina, inquit, provi-
 dentia, quam nihil fugit, ut se res habeat, iam
 certis declarabit indicijs. En fons hic propositus
 est, nec frigidus valde, nec immodicè calidus. In
 hunc igitur immitte manum, & è fundo lapi-
 lum extrahere. Et, si quidem à culpa es aliena, ni-
 hil mali patieris: sin autem polluta es, non sinet
 Deus latere scelus tuum. Illa B. viri, sicut alios
 omnes, ita hos quoq; sermones recordia ascri-
 bens incunctanter manum iniecit in fontem.
 Ecce autem simul atq; lapillam secum retra-
 here conata est, mēbris ferè omnibus obrigescit,
 & in digitis, & brachio, quousq; aqua pertigit,
 abstracta cuse, nuda caro cernitur; nihilque
 aliud misera illa, nisi repentinum interitum
 expectat. Quid inde boni euenerit Gangul-
 pho, in tractatu de Matrimonijs, dicemus.
 Hinc sanè constat, aquam etiam tempera-
 tam,*

Surius 11.
 Maij.

tam, vim comburendi diuinitus accepisse;
 & virum sanctum, ab hoc genere probatio-
 nis non abhorruisse, vxoremque eius ad a-
 quæ tribunal secutam, *condictitia actione*
 damnatam. Et nemo vtique hîc calumniæ
 caussa litem intendet, vt rem dicat malis
 artibus procuratam. Impius sit, qui de san-
 cto talia suspicetur. Quid ergo? num omni-
 bus licebit, quod licuit Sanctis? nequaquã.
 Scribuntur illorum vitæ, vt eorum virtutes,
 non vt miracula imitemur. Contrarium fa-
 ciunt peruersi: mores illorum fugiunt, ho-
 nores ambiunt. Hinc æmulos vitæ paucos,
 plurimos habent dignitatis. At vera digni-
 tas in vitæ integritate consistit, non in ja-
 ctantia miraculorum. Quamuis & miracu-
 lis nonnullos DEVS ornet; sed ornat, quos
 vult, & cum caussas habet, fidei miraculis
 conciliandi auctoritatem.

§. XVIII.

*Feruenti aqua Fides defensa, heresis vsta, mi-
 raculo item mirando, non imitando.*

Qualem habuit, Diacono Catholico, cum
 Presbytero Ariano disputate, & ad fidei ve-
 ritatem comprobendam, apud S. Gregoriũ
 Turonensem, sic prouocante: *Factis rei ve-
 ritas approbetur, succendatur igni aeneo, & in
 feruenti*

S. Gregor.
 Tur. lib. 1.
 de glor.
 Mart. c. 81.